

106

104

110

100

115

095

155

055

205

005

Ende

Anfang

91

sibi prius pecuniae restituere teneretur: de qua ejus testamentarii ordinabunt juxta commissa.

XV. Si peregrinus aliquis in galēa moreretur, quod non statim corpus ejus in mare mitti jubeat, sed extra ad terram duci et sepeliri faciat, in aliquo coemeterio. Si vero remotius a terra fuerit galēa, quod tam diu defuncti corpus in galēa sustineatur, quo usque vel ad portum aliquem venerit, vel sociis defuncti placuerit mitti corpus in mare.

XVI. Si aliqui ex peregrinis ad St. Katharinam vellent proficisci, in mortem Synai, patronus cui libet tali id petenti X. ducatos de data prius pecunia reddere teneatur in Jerusalem.

XVII. Quod patronus antequam cum peregrinis recedat de Jerusalem, fideliter adjuvet illos peregrinos, qui ituri sunt ad St. Katharinam, et inter eos et Trutzellmanum pacificam conventionem faciat.

XVIII. Quod patronus peregrinis aptum in galēa assignet locellum pro pullis sive gallinis, et quod sui cocci permittant cocum peregrinorum pariter cum eodem igne parare peregrinis, sicut eis placet.

XIX. Si aliquem peregrinum in galēa adeo graviter infirmari contigerit, ita quod in foetoribus carinae manere non posset, vel alii peregrini eam sustinere nollent, teneatur patronus tali superius aliquem assignare locum ad manendum, vel in castello, vel in puppi, vel in aliquo transtro.

XX. Quod si aliquid in hac conventionis formula neglectum aut sufficienter non esset expressum et provisum, quod tamen jure vel consuetudine ipsi patrono congrueret faciendum: id pro expresso in hac formula praesenteque tenore pro inserto debet haberri.

His articulis ita compositis et conscriptis advocavimus dominum Petrum patronum ad nos in hospitium, et articulos conceptos sibi legimus, et si secundum tenorem eorum se vellet ad nos habere, et hoc nobis juramento praestito promittere, cum eo parati essemus conventionem et pactum facere, ut dictum est. (B) Quibus auditis patronus accepit cedulam articulorum, et unum post aliud perlegit attente. Ad primum articulum dixit: quod quantum ad primam clausulam eum velle accipere, et nos ad Joppen ducere et

